Quelle: https://manuscripta.at/?ID=59
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

eam solatium invenit. impossibile est enim
hoc et non contingens omni facture nature equali
ter. ex his autem que sunt de eis solaciatur. Deis
inquam que sunt de eternitate. immensitate. inter
minabilitate. atque benignitate. et sa
pientia. et potentia. conditoria et provi
soria et iudiciaria eorum que sunt. Et hoc
est omni comprehensibile eius solum immensitas et
ipsum quod cognoscit nichil nosse supra
mentem. sicut teologi viri dixerunt
gregorius et dionisius.

Ecatontas secunda.

v Qui familiariter deum amat. hic
et sine occupatione orat. Et qui sine
occupatione orat. hic et deum precordialiter
amat. Non autem orat sine occupatione.
qui alicui terrenorum habet mentem affixam. Non ergo
diligit deum. qui cuiquam terrenorum habet mentem alliga
ii. tam. Mens inmorans rei sensibili
omnino vicium habet ad eam. Verbi gratia. concupiscen
tie vel tristicie. vel ire. aut odii. et nisi rem illam
iii. despiciat. a vicio liberari non poterit. Vicia
quidem tenentia mentem. colligant eam rebus
materialibus. et a deo separatam illis vacare
faciunt. Caritas autem dei tenens solum
eum vincula contempnere suadens. non solum
sensibilium rerum. sed et ipsius nostre temporalis
iiii. vite. Opus mandatorum est. puros facere rerum
intellectus. Lectionis autem et contemplationis
inmaterialem et sine specie mentem perficit. Et hoc

autem contingit sine occupatione
orare. Non sufficit actuum argu v.
mentum ad perfecte liberandum mentem a
viciis. quatinus possit sine occupatione
orare. nisi et diverse succedant ei spiritu
ales contemplationes. Illud namque ab
intemperantia et odio mentem liberat. hec vero
et ab oblivione et ignorantia transmu
tant. et ita potius sic oportet orare.
Munde orationis due sunt summe constituti vi.
ones. hec quidem activis. illa vero contem
plativis contingens. Et hec quidem
ex timore dei et bona spe fit in anima.
illa vero a divino amore et summa mun
dicia. Notificationes autem sunt prime quidem
mensure. inconglobando mentem ex omnibus
mundi intellectibus utpote ea que
ipsi assistit deo. quod efficax est facere
orationes. ut sine occupatione et sine
molestia fiant. Secunde vero in ipso impe
tu orationis rapi mentem sub divina et
immensa luce. et neque semet ipsam neque
quippiam aliud eorum que sunt omnino sentire.
nisi solum eum qui per caritatem nullam huiusmodi
illustrationem operatur. Tunc autem et circa
rationes de deo mota puras et amplas
de eo accipit expressiones. Quod quis vii.
diligit. hoc prorsus et sustentat. et omnia
ad hoc eum inpedientia contempnit.
ut illo non privetur. Et qui deum diligit.